

B R A B A N T I A ⁴ D U C A T U S.



*Brabantia
olim latius
patuit.*

Rabantia aliquando è variis populis, in hunc, quem videmus hodie, coaluit. Et patuit aliquando latius. Nam sunt, qui prodiderunt à S. Bavone in *Brachbantensi* agro ædificatum facellum, quod in ipsa Gandensi urbe cis Scaldim conditum. Et Divum *Lævinum ad Escam*, in pago *Brachbantensi*, martyrio coronatum accepimus. Annales Brabantorum habent, *Teneramundam cum agris*, in pretium *fidæ operæ atque opis contra Grimbergios*, *Theodorico tunc Comiti Flandriæ accessisse*, atque *abjunctam deinceps à nobis esse*. Ottonis vero Secundi diploma commemorat, *confirmasse eum possessiones Gandensis cœnobii*, in pago *Brachbantensi*, *villam Verwiniam*, & *Fletersele*, & *Papingam*, *Bavingham*, *Gisenlele*, & *Holzem*. quæ pleraque in hodiernæ Flandriæ finibus reperias, ut bonam hujus partem Brabantia occupaverit: nec Hannoniæ minorem, si non omnem. Nam in veteri divisione Caroli & Ludovici Regum anno 870, hæc habes: In Brachbanto Comitatus III, Cameracesium, Hannonum, Loviensem. Sane Sigebertus illam ad *Tornacensium* mœnia extendit: In pago *Brachbantensi juxta Tornacum*. Nunc minoribus ætatem terminis è vicinorum veterum populorum coacervatione provinciam unam videas. E *Nerviis* enim, *Advaticis*, *Ambivaritis*, *Pemannis*, *Tungeris*, *Eburonicibus*, *Taxandris*, *Menapiis*, *Morinis*, non postremis partibus defrustratis, unum agrum, tanquam unum corpus constituit.

*Termini
hodierni.*

Vrbes quot.

Ambitur nunc ab Oriente *Leodiensibus*, *Namurcensibus* à Meridie; Occidentem *Flandri* claudunt, Septentrionem *Batavi* ac *Zelandi* *Mosæ* & *Scaldis* æstuariis discreti. Circumscribitur *Mosæ*, *Scaldi*, *Sabi*, *Tenera*, fluminibus, quæ nusquam transfilit. Civitates numerat, magnitudine, variisque ab ingenio & arte propugnaculis validas, sex & viginti: ac insuper septemdecim solo robore suo, nulla ductili fossa aut muro cinctas, urbicis prærogativis dotatas; fortiunturque jura sua sub Brabantia Ducatu, tanquam speciosi corporis non ultima membra, *Limburgicus Ducatus*, *Dalemii Comitatus*, *Valckenburgicus* ager. Ingens ei populus, valida atque delecta constans juventute, cui clarum bello nomen, animusque ad libertatem aut mortem promptus. An domestica, an externa plura bella gesserit, incertum, & permista hæc non semel felici infelicique eventu. Prosperæ res in Gallia, Germania, Anglia, Italia, Asia; adversæ non semel. Ierosolyma capta, Syria domita provinciarum huic triumphos debent. Mutuis deinde cladibus, *Geldricis*, *Eburonicis*, *Battavicis*, *Flandricis*, *Limburgicis*, *Luxemburgicis* nobi-

*Populi de-
scriptio, &
res gestæ.*

Belgica.

litata. Mota à Brabantis arma in Britannios, perdomiti Stadienses, patriæ & diademati restituti reges. Vix annum vacuum à præliis, liberum à ferro habuit. Anno 1175 Anglorum rex Henricus horum opera civitates amissas recepit. Anno 1202 signa inimica in Theodorum Hollandiæ Comitem intulit Henricus Dux, eumque castris exutum, captivum abduxit. Anno 1234 in *Sipbridum* Coloniensem, *Reginaldum* Geldrum, *Adolphum* Nassovium, *Henricum* Luxenburgensem, *Valerianum* Falcoburgensem arma mota, victoriam reportante Ioanne Brabantia duce. Restitutus post hæc anno 1327 regno & suis Eduardus tertius Angliæ rex Brabantina manu, quam & in Aquitanos, Britannos, Normannos, Iberos duxit, fortunatissimo ubique successu. Pari eam aliquando successu Richardus Anglus in Aquitaniam, Philippus Gallus in Aragoniam, & Flandriam, Johannes in suam Angliam, Eduardus in Scotos duxerat. Iam Conrado Imperatore Olyssibona Saracenis erepta, ducentis hostium millibus cæsis aut in fugam versis, Belgarum & Brabantorum cumprimis virtute. Vacui exinde externo metu, domesticis arere malis. Veterem enim inter Brabantos & Grimbergenses discordiam excitantibus quibusdam, commissisque inter se prælio populis victor rediit Brabantus. Illustram hanc pugnam reddidit *Brabantia Dux* infans, & in cunis vagiens, ex editiore arbore, media inter agmina, deensus, ut vagitu, & tenellæ commiseratione ætatis, animos suis adderet, terrorem hostibus incuteret, cum per facile viderent destinatum Brabantis cum duce suo vincere aut mori. *Godefridus Bullonius* Brabantia Dux, Græciæ, Ægypto, Palæstinae victor, at Deo sacrata, signa intulit. Possent hic fortia Brabantorum facta numero & robore plurima, possent Duces enumerare, belli pacisque gloria magnos, *Pipinos*, *Martellos*, *Godefridos*, *Henricos*, *Iohannes*, *Philippos*, *Maximilianos*, *Carolos*: quorum vario ductu ingentia pugnata bella, clarissimis relatis triumphis, *Suevi*, *Saxones*, *Bavari*, *Dalmatæ*, *Longobardi*, *Sclavi*, *Hunni*, *Angli*, *Lusitani* loquuntur, & in ipsa Gallia Martelli manu cæsa Saracenorum septuaginta millia.

Ad Vrbes Brabantia venio. Eæ, uti modo dictum, 26 sunt. *Lovanium*, *Bruxella*, *Antverpia*, *Buscumducis*, quæ capitales, ut vocant, & primariæ ditionis totius vrbes. Sequuntur *Thena*, *Lexia*, & *Nirvella*, quæ capitales minores: inde *Areschotum*, *Bergezomium*, *Mega*, *Breda*, *Diesthemium*, & *Trajectum ad Mosam*, oppida eminentia dignitate: denique *Stenoberga*, *Lira*, *Vilvordia*, *Gemblacum*, *Iudonia*, *Hannitum*, *Landa*, *Hala*, *Sichemium*, *Herentalium*, *Eindovia*, *Helmonda*, & *Gravia*. Municipia sunt, *Oosterwicum*, *Orschotum*, *Turnhoutum*, *Hoogstrata*, *Dufflia*, *Walhemium*, *Mercta*, *Asca*, *Furnia*.

*Vrbium
nomina.*

C

Dus.